



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LI. De Canonico Horas canonicas recitante, & à Choro frequenter  
absente.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

possuntque pro peccatis, & negligentis jam præteritis, non item pro futuris. Unde ab Alexand. VII. proscrip̃ta fuit hæc sequens propositio n. 33. Restitutio fructuum

ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas; quas antea Beneficiatus ex fructibus sui Beneficii fecerit.

## CASUS LI.

*De Canonico Horas canonicas recitante, & à Choro frequenter absente.*

**M**Aurinus Canonicus frequenter abest à choro, non solum, cum malè habet, sed etiam, cum benè valet; Cum verò præfens adest, aliis in Choro Psallentibus ipse profana legit, aut confabulatur cum proximo suo socio, vel si orat, versiculos suos submissa voce recitat, aliis Suam partem canentibus.

*QUÆR. I. An Canonicus, qui submissa voce in Choro recitat suos versiculos, aliis suam partem canentibus, percipere nihilominus possit distributiones?*

*QUÆR. II. Quid sentiendum sit de illo Canonico, qui, aliis in Choro Psallentibus, profana legit, aut confabulatur cum suo socio?*

*QUÆR. III. An peccet mortaliter Canonicus, qui, dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro?*

*QUÆR. IV. An Canonicus, qui ob corporis gravem infirmitatem Choro assistere nequit, lucrari nihilominus possit distributiones non solum proprias, sed etiam distributiones aliorum absentium?*

295

**A**

D I. Q. R. cum Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. c. 12. Less. l. 2. c. 3. dub. 23. Petr. Navarr. Bonac. Filliuc. Ro-

drique, & aliis, non posse talem Canonicum, saltem ex integro, percipere distributiones. Ratio est. Primò, quia talis Canoni-

nonicus non assistit choro, prout debet, illum nempe suâ operâ juvando, siquidem Canonici munus est canere, & alta voce Horas Canonicas recitare, ut constat tum ex *cap. ult. dist. 92.* tum ex Decreto S. Congregationis Rit. 20. *Apr. 1602.* & 23. *Nov.* ejusdem anni, juxta quod tenentur Canonici in choro psallere, & alta voce canere, & quidem per se ipsos, nisi legitima consuetudo aliud obtinuerit, quia est obligatio personalis, & Trident. *Sess. 22. c. 4. & Sess. 24. c. 12.* Mandat, ut Canonici per se ipsos onera, & officia annexa præstent. 2. Quia talis Canonicus ita recitando agit contra justitiam commutativam quoad obligationem chori; imò propriè, & absolute loquendo non dicitur talis recitare in choro, & esse pars chori, prout à Trident. l. c. & Pio V. requiritur ad hoc, ut possit participare, ac percipere distributiones,

296 Dixi ex *Integro*; nam posse eum probabiliter percipere mediam partem, docent Suarez, Filliuc, Bonac. Laym. & alii contra Azorium, Navar. & alios. Ratio est, quia talis Canonicus non deest in totum suo muneri; cum assistat adhuc Choro submissè recitando, & suâ præsentia illum ornando, aliosque audiendo, quæ proin assistentia, etiam qualis hîc ponitur, non parum facit ad Chori decorem, & ornamentum: Nec distributiones solùm conferuntur pro cantu, verùm etiam

pro præsentia, & assistentia in Choro; ut adeò æquum videatur, ut hoc modo assistens Choro percipiat saltem distributiones assistentiæ respondententes. Spectanda tamen hîc erit legitima loci consuetudo, si qua viget, ut alibi dictum est in *Instruct. pract. ordin. de Hor Can.*

Ad 2. Q. R. Canonikum, qui, aliis in Choro psallentibus, confabulatur cum suo socio, aut legit profana, non solùm peccare contra reverentiam loco sacro debitam per illam suam confabulationem, fortassis etiam scandalosam, sed etiam sub gravi culpa obligari ad recitandum privatim suum Breviarium, si ea confabulatio, aut lectio profana per notabilem partem duraverit. Ratio petitur ex ipsa obligatione, quam habent Canonici, & Beneficiati recitandi quotidie totum Breviarium, & Fundatorum intentioni satisfaciendi. Imò non potest talis Canonicus bonâ conscientia accipere distributiones, si per magnam Officii Divini partem protrahat eam confabulationem, aut lectionem, prout docent ex communiore Navarr. *c. 13. n. 15.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 1.* Barbof, Palao, Molfel. Ledesm. aliique contra Garc. Medin. & alios, putantes notabiliter confabulantem peccare quidem mortaliter, ad restitutionem tamen distributionum non teneri, eò quòd ad distributiones lucrandas sufficere arbitrentur solam præsentiam in Choro. Ratio

Ss 2

autem

autem communioris sententiæ, est, quia distributiones non dantur propter mera præsentiam physicam, (aliàs etiam dormienti, ludenti, aut quodvis aliud in Choro agenti deberentur) sed iis tantùm assignantur, qui Choro assistunt assistentiâ, & præsentia morali, humana, & actiosa, vel saltem modesta, & devota, quæ aliquid conducat ad honorem, & cultum divinum, ut colligitur ex *C. dolentes* cit.

297 Ad 3. Q. R. Canonicum, qui dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro, per se graviter delinquere, non immeritò sentiunt Suarez, Vasque Palao, Bonac. & alii, nisi ob parvitatem materiæ excusetur. Ratio est, tum quia iusta Fundatorum voluntas obligat ad frequentandum Chorum, in quem finem assignantur tam copiosi redditus. Tum quia sic imminuitur cultus divinus. Tum quia pro vacatione est certum tempus determinatum, & à Trident. quidem *Sess. 24. c. 12. de Ref.* tres menses in anno conceduntur, sive continui, sive interpolati: ergo ultra tempus Statutum non licebit abesse non tantùm à loco, sed neque à Choro, quia præsentia in loco exigitur propter præsentiam in Choro.

Tum denique quia non obscure id colligi potest ex gravitate pœnarum, quæ in jure intentantur

non frequentantibus Chorum, videlicet Excommunicationis ferendæ, & depositionis, atque ita sæpius declarasse S. Congregationem, testatur Garcias *p. 3. c. 2. n. 323. de Benef.* Si tamen distributiones ejusmodi Canonici non recipiant, sed aliis spontè relinquunt, censent non nulli cum Cajetan. Barbof. Valent. Regin. contra citatos DD. eos non delinquere graviter, eâ ratione moti, quòd in Præbendato, seu Canonico duæ spectandæ sint obligationes; altera recitandi simpliciter divinum Officium; altera recitandi illud in Choro: propter priorem, ajunt, dari Canonico fructus Beneficii; propter posteriorem concedi distributiones; ergo si has non percipiant, quando absunt à Choro, non erunt gravioris culpæ arguendi; Quorum opinio sua non caret probabilitate, ut alibi insinuatum est in libello de Horis Canon.

Ad 4. Q. R. Præscindendo à 298 legitima locorum in contrarium consuetudine, posse talem Canonicum, qui ob corporis infirmitatem Choro assistere nequit, percipere, suas aliàs proprias distributiones, quamdiu durat illa infirmitas. Ratio responsionis elucet ex ipsa juris dispositione, præsertim ex *cap. 1. de Cleric. agror. cap. consuetudinem*, & *cap. unic. de Cleric. non resid. in 6.* Ubi postquam sancitum fuisset, absentibus distribu-

tiones

tiones non deberi, excipiuntur absentes ob infirmitatem, & hæc verba subjunguntur: Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, (exceptis illis, quos infirmitas seu iusta, & rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesie utilitas excusarent) rerum sic receptorum dominium non acquirat, nec faciat eas suas &c.

An autem talis Canonicus infirmus etiam distributiones aliorum absentium percipere possit, controversum est inter DD. affirmativam sententiam tenet Matthæus, in *Offic. Cur. Eccl. c. 44. n. 24.* Ad ducta pro se auctoritate S. Congreg. Card. & ratione. Primò, quia infirmi, & ex iusta causa absentes reputantur in iure intere-sentes, seu præsentibus: atqui si præsentibus essent, lucrarentur distributiones non solum proprias, sed etiam aliorum illegitimè absentium: ergo etiam ex iusta causa absentes, 2. Quia Trident. *Sess. 21. c. 3. & Sess. 24. c. 12. de Reform.* Non videtur aliis concedere distributiones illegitimè absentium, nisi iis, quibus concedit proprias: atqui proprias concedit absentibus sic impeditis: ergo & proprias aliorum illegitimè absentium.

299 Verum spectato iure communi, & seposita contraria consuetudine, si qua alicubi viget, negativam sententiam, idque probabilius docet, ac tenent Bonacina *D. 2.*

de *Hor. Can. q. 7. p. 1. in fine.* Palao *tr. 7. D. 3. p. 8. n. 8.* Barbol. *l. 3. Jur. Eccl. c. 18. n. 90.* Pirh. *hinc n. 101.* Wiestn. *n. 58.* Schmalzgr. *n. 84.* aliique. Ratio est, quia in nullo juris textu invenitur expressum, tales ex iusta causa absentes lucrari aliorum absentium distributiones: ergo non sunt illis concedendæ, hoc ipso quod nullum privilegium cedens in diminutionem cultus divini, quale est etiam hoc, quod ejusmodi infirmis conceditur, præsumendum est, nisi expressè probetur, prout tamen hinc non probatur expressè, cum id neque exprimatur in *citt. C. consuetudinem de Cler. non resid. in 6.* neque in *C. unico citt.* neque in Trident. *l. c.* ubi solum dicitur distributiones intere-sentibus, & deservientibus esse concedendas, nulla facta mentione de sic infirmis & impeditis. 2. Quia absentium portiones accrescunt deservientibus, ut à S. Congreg. declaratum est, teste *Garc. p. 3. de Benef. c. 2. n. 465.* Sed qui causa infirmitatis vel alia legitima absunt, non deserviunt Ecclesie: ergo &c. 3. Quia convenientius est, ut illi potius ejusmodi distributiones percipiant, qui verè, & non fictè præsentibus sunt, & majorem ex aliorum absentia laborem obeunt, quàm illi, qui fictè duntaxat præsentibus censentur, & nullum subeunt laborem, nullumque præstant servitium.

Nec urgent argumenta in oppositum. Ad 1. enim R. ejusmodi

infirmos, & impeditos in jure reputari presentes ad lucrandas distributiones proprias, non autem ad aliorum distributiones percipiendas, ad quas extendi non debet privilegium legitimè impeditorum, utpote odiosum, & cedens in diminutionem cultus Divini, ad quem augendum introductæ sunt ejusmodi distributiones.

Ad 2. R. Absentium distributiones juxta citt. Trident. concedi iis, qui lucrantur proprias, si Divinis intersint, & inserviant, quales non sunt tales infirmi, licet hi ex juris concessione proprias lucrari possint: Ut autem ejusmodi infirmi etiam proprias lucrari possint, requiritur gravis infirmitas, seu talis, quæ impediatur, ne hi ad Ecclesiam & Divina officia se conferre possint. Quæ verò infirmitas sit gravis, vel levis, judicio prudentis viri, seu periti Medici relinquatur. Ad justam, & rationabilem corporis necessitatem quod attinet, positam & expressam in dicto *cap. consuetudinem*, tunc censetur talis necessitas adesse, ut notant Bonac. Palao, Azor. & alii,

quando ex assistentia Chori Clerico immineret grave damnum vitæ, honoris, vel fortunæ; Quodcumque enim ejusmodi grave damnum reputari debet justa & rationabilis necessitas, ob quam nolit pia mater Ecclesia obligare suos ministros ad peragendum Divinum Officium, eosque privare eo emolumento, qui ex tam justa, & rationabili causa Officium omittunt. Unde

Colliges, distributiones deberi iis, qui judicio Medici Choro absunt; eò quod putent vel timeant grave damnum sibi proventurum, si domo egrediantur, & choro assistant, vel qui consilio ejusdem Medici alio se transferunt ad auram mutandam, sanitatis acquirendæ causâ, vel ad recuperandas vires in infirmitate amissas, vel qui aliunde grave damnum sibi obventurum prudenter timeant, si choro assistant, quia tales verè absunt à choro ob justam & rationabilem corporis necessitatem, quam tollere aliàs nequeunt.

